



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

3 Vicarii facto hominis aii spirituales, alii temporales.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

Et à lege constituti in sex species dividuntur, quarum prima est Summorum Pontificum, Petri successorum, quibus Evangelica voce Domini claves æternæ vitæ traditæ, & terreni simul, & cœlestis imperii fuerunt jura commissa, *ut cap: quævis, 21, dist. & cap: omnes, 22, dist. & sunt Vicarii Christi, cap: ubi periculum, §. ceterum, & cap: fundamenta, §. decet, de elect. in 6.*

Secundæ species sunt Episcopi, qui Apostolis successerunt, & Apostolorum vices gerunt, *cap: legimus, 93, dist. cap: in novo, 21, dist. cap: quorum vices, 69, dist. & cap: 1, §: per frontis, de sacr. Vnct.* Vicarii enim Dei sunt, quos Spiritus sanctus posuit regere Ecclesiam ipsius Dei, quam acquisivit sanguine suo, *Act. Apo: cap: 20.* Conc Trid. *cap: 1, de reform. sess 6:* & Card Bellarm. *in Apolog. pro respons. ad libr: Reg: Brit: c: 4, sub vers. quod etiam rex.* Succedunt autem Episcopi Apostolis, quatenus illi fuerunt primi Episcopi particularium ecclesiarum, ut Jacobus Hierosolymitanæ ecclesiæ, & Joan. Ephesinæ, non autem propriè succedunt Apostolis, quatenus Apostoli erant, id est, missi in omnem terram cum plenissima potestate, ut docet Card. Bellarm. *in lib: de cler: & lib: 4. de Pont. & distinguendo declarat idem Card. in respons. ad Apolog: pro jur. fideliter, sub rubric: de respons. ad ea, quæ objiciunt. contr: Epistol. §: Responsio Episcopus succedere, pag. 212.*

Tertia species est Presbyterorum, qui eum Apostoli videntes messem multam, operarios autem paucos, rogassent dominum messis, ut mitteret operarios in messem suam, elegerunt septuaginta duos discipulos, quorum vicem presbyteri gerunt, *dict. cap: in novo, 21, distinct.*

Quartæ species sunt Capitula cathedra-

lium, quæ sede Episcopali vacante, Episcopi vices gerunt, *gloss. in cap: unic. 2, not. de majoris. & obed in 6. & Innoc. in cap: eam te, num. 4 & seq. de rescript.*

Quinta est Archidiaconorum, qui absentibus Episcopis, nullo vicario constituto, absque aliquo facto, ipso jure sunt illorum vicarii, *cap: 1. ubi gloss. & Burr. & cap: ad hac, §. secundum, & §. item epistola, ex. de offic. Archid.*

Sexta autem est Archipresbyterorum Cathedralium, qui etiam dicuntur vicarii nati, quoad spiritualia quædam, ut per Host. *de offic. Archipresb. & plenè per Sbroz d. 93, à num. 2, usque ad num. 19.*

† Vicarii facti hominis constituti sunt spirituales, & secundum jus canonicum creantur, † quorum alii sunt perpetui, & alii ad tempus, *Abb in cap: extirpanda, §. qui verò, num. 9, de preb.*

Primò perpetuus † est Vicarius Urbis, cujus officium de potestate ordinaria non est amovibile, sed solum vacat per obitum, & semper creatur S. R. E. Cardinalis, cujus jurisdictio extra Urbem non extenditur, *cap: sua nobis, de offic. Vic.* Et in Urbe est, tanquam Ordinarius in sua diocesi, habens jurisdictionem in clericos, & Hebræos, *d. cap: sua nobis, ex. de offic. Vic. & Sbroz. d. 93, num. 19.*

Secundò sunt vicarii perpetui deputati monasteriis, & aliis beneficiis, quibus pro curæ animarum regimine sunt vicariæ auctoritate Apostolica perpetuò erectæ, & post erectionem dicti Vicarii auctoritate ordinaria, prævio examine ad formam sacri Concilii Tridentini admittuntur, & sine causa amoveri non possunt, *cap: ad hac, eod. tit. c. 1, de capell. mon. in 6. Abbas in dist: §: qui verò, nu. 8. Rota decis.*